



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio III. De Reprobatione, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

tinens efficacem voluntatem construendi donum, potest alio ratione actu, velle executionem. Arbitrari etiam assumeretur, Deum cum vult rem, velle cum omnibus circumstantiis, nam passibilitatem in Christo noluit, nisi in posteriori signo.

Noto 3. Aliam esse questionem: An ordo intentionis ante prævifa merita sit necessarius ad salutem, & alia. An ordo intentionis siue ante prævifa, siue post prævifa merita sit distinctus saltem ratione ab ordine executionis? prius illud non dicimus, quia absolute ante prævifa merita potuissimus salvari, & sine illis: secundum autem, hic defenditur.

Concedimus, quod non tantum gratiæ sufficientes, sed etiam efficaces dari possint ex simplici complacentiâ in salute humanâ, & ita dantur etiam reprobis; sed negamus dari cuiquam finalem gratiam, vel dari posse. Ratio, quia voluntas talis dandæ gratiæ, hoc ipso est prædestinativa, prædestinatio autem non sequitur ex simplici complacentiâ in salute.

Unde ulterius post simplicem complacentiam non superfluit efficax desiderium salvandi; nam de illo meminerunt PP. & Scriptura, communisque persuasio fidelium, qui censent voluntatem prædestinandi, infallibiliter ponere salutem.

Porro connexio gratiæ finalis cum gloria, est connexio mediæ cum fine, qui prius intenditur mediis per Arist. unde illa connexio est connexio cum antecedenti; jam autem connexio finis cum medio, est connexio cum aliquo consequenti. Hinc quamvis gratia finalis habeat connexionem necessariam cum executione gloriæ, non erit necesse, ut prior sit voluntas exequendi, posterior gratia finalis.

In illa voluntate antecedenti, quâ vult Deus homines omnes salvos fieri, conditio illa: Si fideliter perseveraverint, potest habere se, vel per modum motivi; & sic ante prævifa absolute merita, non posset fieri prædestinatio: vel se potest habere per modum mediæ, & tunc antecederet potest haberi efficax voluntas finis, eaque prædestinativa, ante impletionem illius conditionis, cum amor finis debeat antecedere amorem mediæ.

Alii dicerent, quod voluntas salvandi per modum præmii, pendeat ab illa conditione tantum motivo, sed non voluntas salvandi, accipiendo salvationem pro ipsa gloria, cuius amata & destinata, sit effectus, perseverantia finalis.

In principiis horum, qui admissio duplici hoc hinc, secundum illos defendunt suas de prædestinatione conclusiones, diceretur, quod in ordine executionis pendeat beatitudo ab illa conditione, non in ordine intentionis: secundum autem nostra principia diceretur, quod ratione illius motivi pendeat salus ab illa conditione,

vel quod pendeat, quoad objectum dandum, sed non quoad voluntatē dandi. *Ex quo ulterius*

COLLIGES, quid sit dicendum ad illas instantias, quod Rex non possit absolute velle dare arcem alicui, & tamen sub conditione futuræ generosæ pugnæ; item quod non possit aliquis dicere: Dono tibi absolute hunc librum, & dono tibi si bene oraveris; hæc enim ex dictis soluta manent.

QVÆSTIO III.

De Reprobatione, &c.

Nihil hic addendum restat, quod in antecedentibus tactum non sit. Reprobatio est duplex, quædam negatîva, & est ante prævifa absolute demerita; alia positîva, quâ Deus dicit: Nolo hos salvare, hæc supponit demerita absoluta, ut visum supra.

Disputant alii: An reprobatio sit facta propter peccatum originale, tam in parvulis sine Baptismo decedentibus, quàm de adultis? quod ad priores attinet, etiam hos voluntate inefficaci voluit Deus salvare, propter illum locum, *omnes homines vult, &c.* Quod autem illos non præservaverit ab Originali cum potuerit, referri id debet in solam voluntatem Dei. Rationem dat Rosmer, quia nulla est causa antecedens in parvulis, propter quam illos possit præservare.

Cæterum, quod illorum etiam reprobatio sit facta non nisi post absolute prævisum Originale, consequenter dici debet ad reprobationem adultorum.

Quod ad adultos attinet, Petavius to. i. l. 9. c. 9. censet omnes adultos ob solum Originale reprobatos, penas verò majores & minores decretas post prævifa Actualia. Cæterum oppositum sentiendum. Ratio, quia PP. non meminerunt istius distinctionis. Deinde quia multi damnantur post deletum Originale; quomodo ergo illud deletum, est motivum reprobationis?

Quod autem nomine reprobationis vel obdurationis non veniat aliud, quàm denegatio selecti auxilii, & non positîva aliqua obduratio, ita loquitur Aug. Lib. i. simp. q. 2. *Neque enim quomodo dictum est, non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; sic etiam dictum est, non volentis, neque currentis, sed obdurantis est Dei. Unde datur intelligi, quod infra utrumque ponit, ergo cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat, ita superiori sententiæ congruere, ut obduratio Dei sit nolle misereri, & addit, ut non ab illo irrogetur aliquid quod sit homo deterior; sed tantum, quod sit melior, non erogetur.* Et Lib. de Præd. & Grat. c. 4. *Quem vult indurat, non ita intelligendum est, quasi Deus in homine, ipsam, quæ non esset, duritiam cordis operetur: quid enim aliud est duritia, quàm Dei obviare mandatis.* Et infra, *Indurare Deus dicitur, cum quem mollire nolueris.*

De Effectibus Prædestinationis nihil occurrit scholasticè disputandum. Illud pro regula assumatur, quod prædestinatio sit præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur: hinc liberativa, sunt primarius effectus prædestinationis; jam autem bona ordinis naturalis, saltè reductivè; ut sanitas, vel ægritudo &c. Sed est difficultas: An ipsa permissio peccati sit effectus prædestinationis; indubie enim ipsa peccata, non sunt talis effectus; quia illis nemo liberatur; & quidem contra Vasq. affirmat Suar. & Arriaga, quod dicta permissio sit effectus prædestinationis, quia solet esse ansa majoris humilitatis, ferventioris a-

moris Dei &c. ad quod respexit S. Aug. l. de Natura & Gratia c. 28. *Deferit aliquantum Deus, unde superbis? ut scias non tuum, sed ejus esse, & discas superbus non esse.* Commodius dicitur, quod ea quæ fiunt ex suppositione peccati, qualis est illa humiliatio, sunt effectus Prædestinationis; non tamen ipsa permissio; quia sicut Deus non potest velle permissionem peccati ex amore pœnitentiæ, eò, quod & non veller peccatum, quia vetat ejus sanctitas; & veller, quia intendens efficaciter finem debet velle & media; & tamen medium tunc esset non nisi peccatum, ita & in præsentia.

